DE ROMANA SANCTI PETRI PRINCIPIS APOSTOLORUM CATHEDRA ORATIO

HABITA IN SACROSANCTA BASILICA VATICANA

XV. KALEND. FEBRUARIAS MDCCLVIII.

A COMITE CÆSARE CATTANEO
PATRITIO PARMENSI.



ROMÆ MDCCLVIII.
EX TYPOGRAPHIA PALLADIS

EXCUDEBANT NICOLAUS ET MARCUS PALEARINI
SUPERIORUM FACULTATE.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

PONT. OPT. MAX.

CÆSAR CATTANEO

FELICITATEM



*C*ONSULTIUS *fortasse fa-ctum videri poterat, si Orationem hanc, quæ nulla admodum re, quam Argumento commendatur, apud me*

continuiſſem, nec in manus hominum pervenire paſſus eſſem; nunc vero quoniam aliorum exemplum ſequutus edere, ac vulgare conſtitui, inconſultiſſime profecto facerem, ſi eam nomini Tuo minime conſecrarem, BEATISSIME PATER. *Eccui enim potiori jure inſcribenda erat Oratio, quæ eſt de* CATHEDRA *Divi* PETRI, *quam Rom. Pontifici, qui eam ipſam Cathedram obtinet, atque ei præſertim Pontifici, qui jam tot annos tanta cum laude, ac Catholicæ Religionis incremento univerſæ Eccleſiæ præeſt? Huc accedit, quod me hanc qualemcunque occaſionem captare oportebat publico aliquo, quod extaret, indicio teſtificandæ obſervantiæ erga Te meæ. Multa de Tua ſingulari omnium Eccleſiarum ſollicitudine, multa de ſapientia prædicari audieram, qua jure, ac merito omnium Gentium Doctor & Magiſter exiſtimaris, multa de memoria, qua omnem antiquitatis notitiam & eruditionem complexus es multa denique de Comitate, atque humanitate Tua,*

qua

qua omnes peramanter excipis ; sed multo plura præsens cognovi , & gavisus sum ; Famam illam , quæ de Te toto terrarum Orbe percrebuit , non præsentia minui , sed contra atque in aliis usuveniat , longe superari . Etiam cum ab Avunculo meo , quem, Ariminensi Insula ornare nuper dignatus es, tibi sisterer , tanta me benevolentia excepisti, quantam optare vix ausus essem . Quid ? cum tibi jampridem significatum essét Disputationes quasdam a me tunc absente habitas esse , ea de re & Tu prior sermonem induxisti , & earundem Disputationum exitum , perinde ac si præsens adfuisses , gratulatus es . Quod me adeo perculit , ut vehementer una cum singulari humanitate inauditam prorsus , ac plane miram inter tot , ac tantas gravissimorum negotiorum , ac studiorum curas memoriam admiratus sim Tuam . Ex quo in certissimam spem adductus sum fore ut nunquam ejus obliviscaris, qui unice in tua clientela, ac benevolentia conquiescit . Patere igitur , extare publicum

hoc obſervantiæ meæ documentum, tenue illud quidem, ſed ab optima voluntate profectum, quæ Te quam diutiſſime, & communi totius Chriſtianæ Reipublicæ bono & majori adhuc eximiæ Tuæ virtutis merito in Petri Cathedra vigentem, florentemque cupit.





ORATIO



UM ego mæditer, quid inter cætera pronunciare voluerit magnum illud, stupendumque Mysterium, quod Apocalystæ Joanni in Insula Pathmos, ultimo loco spectandum Angelus reseravit; facere non possum, quin Apostolicæ CATHEDRÆ gloriam, ac Principatum sub illius Arcani velamine [1] mirifice demonstratum intelligam. Nam si quæ vidit Joannes non in Cœlis tantum, sed & in terris eventura erant, quid erit, obsecro vos, inter mortales Beata illa Sedes Dei & Agni in splendidissimæ Civitatis sinu erecta, nisi eadem ipsa Apostolorum Principis Sedes in Urbe Romæ collocata? Quid erit divinus ille, ac simplicissimus Vitalis aquæ fluvius de Sede procedens, nisi Evangelicæ prædicationis gratia ex una Petri Cathedra tamquam ex fonte dimanans? Quid lignum vitæ secus admirandi illius fluminis ripas redo-

1 *Apoc.* 22.

redolens fructum ad sanitatem gentium ; nisi Christus ipse, qui ad Romanæ Sedis latera vigilans oracula inspirat sedenti illius fidem immaculatam conservat, huc veluti ad Evangelicæ Doctrinæ fontem sitientes vocat, vocatos per spiritum sanctæ dilectionis ab ægritudine liberat, universo denique humano generi ex hac beata Sede æternæ salutis munera, & remedia ministrat? Age ergo in tanta hujus diei Solemnitate gaudeat Roma, quia Sedes Petri facta est: gaudeat & totus terrarum Orbis, quia sedes ipsa Romæ firmata est, nam quod ad me attinet, quanta & Orbi simul & Urbi occasio sit, brevissime demostrare aggrediar.

Itaque ut de totius Orbis gratulatione dicam, nemo Vestrum puto, non admodum gaudebit, prædilectæ Matris Ecclesiæ Sedem in eo terrarum loco eo augustius splendescere, quo celsius attollitur, summaque ex arce in omnium oculis fulget. Quod enim Petri Cathedra in Urbe omnium maxima collocata sit, id equidem non ad unius Populi, sed ad universarum Gentium utilitatem mirifice confert. O ineffabile divinæ Sapientiæ Consilium! Romanam condere Urbem, eamque ad tantæ magnitudinis culmen evehere, ut cæteras omnes splendore, divitiis, & principatus majestate superaret; una erat hominum cura & ambitionis opus. Sed summus rerum Provisor, ac moderator Deus quidquid vanitas mortalium ad terrenæ Civitatis gloriam amplificandam molita fuerat, in Religionis Christianæ commodum uno veluti momento Omnipotenti nutu convertit, & Apostoli Cathedram ibi esse voluit, ubi sæcularis Imperii sedes tanta ostentatione vigebat, sicque Deo Auctore factum est, ut Urbs illa potentissima,
unde

unde in omnes Terræ Regiones protendebantur imperia, ea modo sit, unde in omnes Mundi plagas purissima Fidei lumina latissime fundi, ac propagari cernuntur; in ea demum tam admirabili rerum, ac temporum conversione, quæ antea Domina gentium erat, mater evasit, & Magistra omnium Ecclesiarum. Benedictus Dominus, qui de præparato habitaculo suo, de hac Sancti Petri Sede, de Montibus novæ Sion potentiam Regni sui notam fecit nationibus, effudit Misericordiam suam in omnes gentes, dedit verbum evangelizantibus in virtute multa, respexit super omnes, qui habitant terram. Exultate jam quotquot estis Ecclesiæ Virgines Sion tantæ Matris Filiæ Cara pignora Petri exultate (sic enim decet) & in Cathedra Regni ejus laudate Deum, qui vos adduxit ad Civitatem munitam, & in loco Sanctificationis suæ veræ Fidei & cælestis Doctrinæ pabulo vos alit, & nutrit. Sed quid de Româ dicam, quod illius veluti proprium, ac singulare censeri debeat? Ex his quæ hactenus dicta sunt habet Roma cum cæteris Orbis terræ partibus communem lætitiæ Causam; at præter hanc, aliam omnino præcipuam & insignem habet, quam sibi soli debitam jure tribuat, atque deprædicet.

Nihil est in Urbe tam Sanctum, tamque Divinum, omniumque Sæculorum laude celebrandum, quod ad Apostolicam Petri Cathedram acceptum referri non debeat; quidquid honoris, & gloriæ Gentilium ævo se obtinuisse jactabunda commemorat, nonnisi superstitiosa portenta abominabilis superbiæ fastum, trophea scelerum, & humanarum rerum inconstantiam ostendit: modo vero quidquid jam inde ab Apostolorum

Prin-

Principis ætate Romanorum nomen ſupra cæteras gentes altius extollit in Religionis divinitate, in virtutis ſplendore, in morum Sanctitate, in Miraculorum gloria, in Martyrum Triumphis, in integritate Fidei in ipſius denique Eccleſiæ, & imperii ſoliditate, nullis unquam dæmonum inſidiis periclitatura conſiſtit. Nunc multo potentior aditum nobis aperit ad cæleſtia. Non ſolum vel Africæ, vel Aſiæ Regiones Romam colunt, vehementerque timent, ſed & inferorum poteſtates, tartarorumque monſtra illius nutus, & auctoritatem vereri coguntur. Roma fulgurat, tonat, ſplendet, illuminat univerſa. Hæc utpote Petri Sedes, excelſa illa, & fortunata Civitas eſt ſupra montem poſita, ſupra montem, inquam, non ad horam illuſtratum, ut ille, in quo Petrus tria tabernacula conſtrui poſtulabat, ſed perpetuo Solis indeficientis lumine clarificatum. Faciamus hìc tria Tabernacula, dixit Petrus, in monte Thabor neſciens quid diceret, ut ait Marcus. Non ibi, ſed hìc, ſed Romæ Tabernaculum grande ſtatuendum erat. Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, ubi nobiliſſima Chriſti Sponſa Eccleſia reſplendet tanquam Sol, ejuſque veſtimenta facta ſunt alba, ſicut nix. *Salve Civitas Sancta*, ut cum Divo Bernardo loquar, *quam ipſe ſanctificavit ſibi Tabernaculum ſuum Altiſſimus*, *quo tanta in re*, *& per te generatio ſalvaretur* [1]. Salve Civitas Regis magni, ex qua nova, & jucunda Mundo Miracula nullis temporibus defuere ab initio. Salve Domina Gentium, Princeps Provinciarum, Gloria Populi Chriſtiani, quam Deus ſemper a principio paſſus eſt oppugnari, ut viris fortibus ſicut virtutis, ita foret & occaſio ſalutis.

Glo-

1 *Serm. ad Mil. Templi cap. 5.*

Gloriosa dicta sunt de te, non quia Roma es, sed quia Matris nostræ, & Christi Sponsæ Ecclesiæ Sedes, ac Civitas Dei facta es. Quod non sine magno gaudio audiunt Insulæ, & attendunt Populi de longe tanquam fluminis impetum, qui lætificat Civitatem Dei; tantaque multitudine dulcendinis tuæ jucundissime satiati memoriam abundantiæ suavitatis tuæ ubique eructant, qui te viderunt, & usque ad extremum terræ magnificentiam gloriæ tuæ loquuntur, & enarrant mirabilia tua. Quæ si semper, si ubique, si apud omnes enarranda sunt, multo magis in hac tam celebri Solemnitate hac ipsa die, hoc ipso in loco apud Vos enarranda fuere. Quare rerum magnitudine oppressus tacendo potius, quam majora dicendo Orationi finem imponam.



IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. Patri Sac. Pal. Apost. Mag.

F. M. de Rubeis Patriarch. Const. Vicesg.

IMPRIMATUR,

Fr. Vincentius Elena Reverendiss. P.Mag. S. Pal. Apost. Soc. Ord. Praed.